



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Romualdus. 7 Februarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

3. Hæc Rosa in cælum spectat, quasi significet
omnem suam pulchritudinem, & omnem suam a-
morem cælo se penitus consecrâisse, à quo nimis
sperat vitalem tum calorem, tum humorem, Quis
quis amat castitatem, propriis viribus diffidat ne-
cessere est, & precibus assiduis petat hunc cæli flo-
rem; Parum enim aut nihil proderunt diligentia, &
asperitas vitez, nisi accedat benignitas Dei. Cùm
virgines suam Christo voverunt virginitatem, solū
Deum respicere, solī Deo placere, solum Deum
amare debent. *Virgines nulli placere studeant, nisi Do-
mino, à quo præmium exspectant virginitatis.* Cyp.

S. ROMUALDUS.

7 Februarii.

*Vigilate & orate, ut non intretis in
tentationem: nam spiritus prom-
ptus est, caro autem infirma.*

S. Marc. cap. 14.

S. Romualdus Ravennæ ex illustrissima
Ducum stirpe progenitus ad lubricam
juventutis viam à teneris licet proclivis,
mente tamen Deo devotus sese ad majora
tentabat erigere. Et dum feras in sylvis per-
sequitur, amorem venatur solitudinis. An-
tequam verò mundum vinceret, urgente
Patre

Patre Sergio cum hostibus præliandum fuit. in quo prælio ob injustam Patri opem latam in necandis hostibus, anima sauciata mede- lam quæsuit in Clauſtro, in quo vulneris Pharmacum salutare reperit, lachrimas pœnitentis. Ita sanatus, carni & mundo indi- xit certamina, suaq; caſtra ſub Duce Marino locavit in ſolitudine, in quâ tam ſolida ſpi- ritualia militiæ fundamenta jecit, ut ſui ex- emplo magnum Venetorum Ducem relicto ſeculo traxcrit ſub vexillum. Mox è Tyrone Ductor Camaldulensem ordinem instituit, pluribus insignis victoriis, quas tam de ſe, quam inferis reportavit. Et ne mors crue- ta pro Christo ſibi pugili deeflet, iter para- bat ad Barbaros, ſed instar Jacobi, Cœli ſcalâ, quam vicitor Cælos ascenderet, revocatur, quam brevi multis clarus miraculis Trium- phator conſcendit Anno 1009.

M E D I T A T I O

De Oratione.

I. SÆPIUS in die orandum, ſed præſertim manè, dum ſurgimus, & ſub noctem, dum lectum petimus. Cùm jugis ſit Dei erga nos beneficentia, jugis quoq; debet eſſe gratiarum actio: ſi cum ho- minibus colloquendum eſt, quam multum tempo- ris!

oſ 98. (o)

ris! si cum Deo, quām parum! Quoties in die
Deum oras? Erubelce, & in futūrum tibi ipse o-
randi præfinias tempus, quod semper & ubique
expleas.

2. At (inquieris) præ negotiorum copiâ orationi
vacare minūs possum, tametsi maximè velim; cum
S. Gregorio respondeo tibi, quò quis graviori ne-
gotiorum mole opprimitur, eò longiori & arden-
tiori indiget oratione; ea siquidem, ut recte & sine
peccato perficiat, validiori auxilio opus habet. In
omnibus Deum consule: roga cum, ut te adjuvet.
Hæc si semper feceris, omnia tibi prosperè cadent.

3. Si tamen aliquando præ negotiorum multitu-
dine preces omiseris, consilii JESU Christi memor:
VIGILATE ET ORATE, semihoram certè somno
destinatam orationi concedas, hoc nullatenus no-
cebbit tuæ sanitati, hoc faciunt tot pii viri, & qui-
dem citra valetudinis incommodeum. Tu quoque
toties vigilas, ut ludo, aut rebus alicujus momenti
incumbas. Parum temporis subtrahas occupatio-
nibus illis, quæ faciunt, ut duram & molestam vi-
tam vivens, otium non habeas vacandi tuæ saluti.
*Abiçiantur omnia quæ præsentem hanc vitam faciunt
brevem occupationi, longam dolori.* Euch.

S. PAVLVS EPISC.

8. Februarii.

*Quicunq; voluerit inter vos major
fieri, sit vester minister.* S. Matth. c. 20.